valent A. De Priſcilla & Aquila, vide Act. 18. a. 2. M. Hi degebant Epheſi, vbi Paulus hoſpes fuit: eiuſdem artificii cum eo fuerunt, nam conſuebant tentoria. Neq; pacem eos commendat Paulus alibi, dum eos ceruices ſuas pro ſe ſuppoſuiſſe, & omnes Gentium Eccleſias mutuum illis debere aſſerit, Ro. 16. a. 4. Hic vero addit, CVM EA QVÆ IN DOM. A. Hoc quidam ita exponunt, quod fidelium cœtus in eorum domo cogeretur potiſſimum quum Paulus illic ageret. Rectius autem alii, qui intelligunt eorum familiam ita bene fuiſſe inſtitutam, vt ab Eccleſia non differret. C. Et certe ſic inſtitutas eſſe conuenit ſingulas piorum familias, vt totidem ſint Eccleſiolæ. A. Hinc etiam apparet ſcriptam Epheſi Epiſtolam hanc fuiſſe: quia ſalutationem aſcribit Aquilæ & Priſcillæ: quos Lucas tradit Epheſi ſubſtitiſſe quum a'io Paulus diſcederet, Act. 18. c. 19.

20 SALVTANT VOS FRATRES OMNES. S. Hic rurſus videmus quantum illi ſtudium ſit vt inuicem Eccleſias conciliet. R. De fratribus qui Epheſi etiam loquitur. SALVTARE INVIC. OSCVLO SANCTO. A. Vide Ro. 16. c. 16.

21 SALVTATIO MEA MANV PAVLI. R. Humilitatis exemplum in Paulo, qui poſtremo ſalutat. S. Apparet autem magno ſtudio compoſitam eſſe Epiſtolam, Apoſtolo quidem dictante, & alio diligenter excipiente & conſcribente. M. Et quum abſoluta eſſet Epiſtola, ſubſcriptionem ipſi addebat manu ſua. Ea vero plerunque fuit: Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti ſit vobiſcum, Amen. 2. Theſſ. 3. d. 17. 18. S. Quod propter falſarios obſeruabat, qui ſuppoſititias quaſdam Epiſtolas oſtentare ſolebant, tanquam à Paulo conſcriptas. A. Huic vero addit aliud quid, nempe.

22 Si quis non diligit Dominum Ieſum Chriſtum ſit anathema, mara natha:

SIQVIS NON. R. Votum conſtans execratione, qua execratur & abominatur Paulus omnes Chriſti hoſtes & aduerſarios. C. & quotquot falſo Domini nomen obtenderent, ipſum ex animo non diligentes. Non enim de extraneis loquitur qui ex profeſſo nomen Chriſtianum oderant, ſed de fucis & hypocritis, qui ventris aut inanis iactantiæ cauſa turbabant Eccleſias: M. &, quum Chriſtianos ſimularent, re vera peſtes erant Eccleſiæ. De quibus etiam alibi dicit, Vtinam excindantur qui vos conturbant, Gal. 5. b. 12. c. q. d. Pereant & excindantur tales Eccleſiæ peſtes: & ſane nihil hoc hominum genere pernicioſius, qui pietatis profeſſione ad prauos ſuos affectus abutuntur. Fontem vero huius mali deſignat, quum eos negat Chriſtum diligere: ſincerus enim ac verus Chriſti amor non patietur nos offendiculum fratribus creare. A. De voce Anathematis dictum in expoſitione Rom. 9. a. 3. C.

Quod ſubiungit continuo paulo plus habet difficultatis. MARA NATHA. A. Variam adferunt interpretes vocis huius ſignificationem, dum alii Syriacas eſſe voces contendunt, alii exponunt, Dominus venit: alii autem, In aduentu Domini, vel, Donec aduenjat Dominus. C. Sed veriſimilius eſt formulam hanc fuiſſe Hebræis familiarem, cum anathematizare vellent. Nunquam enim exoticis linguis loquuntur Apoſtoli niſi cum in aliena perſona aliquid referunt. A. Itaque qui linguæ Hebraicæ & Chaldaicæ cognitionem ſunt aſſequuti, affirmant Chaldaica declinatione מהרמתא deeſſe quod Hebraicum חרם quod excidium & internecionem ſignificat, vt Malach. 4. b. 6. C. Non eſt autem nouum Apoſtolos ſecus ſcribere has voces quam ſi lingua ſua pronunctientur. Quaſi ergo anathemate damnaſſet Paulus eos qui Chriſtum non diligunt, rei grauitate commotus, quaſi ſibi non ſatisfeciſſet, vocem addidit inter Iudæos vulgarem, & quam adhibebant in ferenda anathematis ſententia. Quemadmodum ſiquis Latini loquatur, dicet, Ergo te excommunico: quod ſi addat: Et anathema pronuntio, expreſſio erit vehementioris affectus. R. Non amare Dominum Ieſum Chriſtum eſt contra conſcientiam agere, contra Chriſtum, contra iuſtitiam eius, contra Euangelium eius, & eius nomen (vt dictum eſt) falſo obtendere.

23 GRATIA DOMINI IESV CHRISTI SIT VOBISC. R. Alterum votum, quo optat Paulus Corinthiis gratiam, tutelam & defenſionem Domini noſtri Ieſu Chriſti, vt in omni bono fructificare & progredi queant. M. Hæc autem Corinthiis precatur vt eos non tantum admonitione, ſed precibus iuuet. R. Et eſt hoc votum fidei & charitatis: fidei, qua ſtatuit ſe exauditum iri: charitatis, qua quærit ſalutem aliorum. AMB. Hæc autem erat propriæ manus conſueta ſubſcriptio, 1. Theſſ. 3. d. 17. 18.

24 Dilectio mea eſt cum omnibus vobis in Chriſto Ieſu. Amen.

DILECTIO MEA CVM OM. M. Illis dat quodammodo manus & abſentes complectitur. Et, quia potuiſſet hac Epiſtola nonnihil eos offendiſſe, quod acerbius aliqua ſcripſerit, ideo mulcet iſta corona de. R. ac ſi diceret, Volo vt ſtatuatis me vos ex animo diligere, & quærere ſalutem veſtram. Nam talem charitatem vocat quæ eſt in Chriſto Ieſu, M. quæ vera eſt, inuiolata & infracta & non ficta: exemplo Chriſti, A. qui quos ab initio dilexit, in finem vſq; ſummo amore proſequutus eſt, Ioh. 13. a. 1. E. Poteſt etiam hoc votum ita exponi: Precor vt quemadmodū ego vos Chriſtiano affectu diligo, ita vos inuicem ſincere diligatis, ea charitate qua vos conglutinauit Chriſtus Ieſus. Amen. AMB. Confirmantis eſt particula. A. de qua plura habes ſupra, 14. c. 16.

IN POSTERIOREM EPISTOLAM AD CORINTHIOS CATHOLICA EXPOSITIO ECCLESIASTICA.

Authorum nomina qui in commentariis in hanc Epiſtolam citantur.

AMB. Ambroſius. B. Bulingerus. C. Caluinus. L. Pelicanus. P. Pomeranus. OE. Oecumenius. S. Seb. Meyer. T. Theophylactus. V. Vitus Theod. E. Eraſ. Sarcerius. PAR. Paraphraſtes. A. Marloratus.

ARGVMENTVM.

HÆC poſterior Pauli ad Corinthios Epiſtola tribus potiſſimum de cauſis fertur eſſe conſcripta. S. OE. prima, quod aduentum ſuum in præcedenti Epiſtola pollicitus fuerat, Cap. 4. d. 19. & 16. a. 5. neq; tamen id, magis neceſſariis occupatus & Spiritu non permittente, præſtare potuit. Hanc igitur aduentus ſui dilationem hac purgat Epiſtola: T. excuſans, & qua id factum ſit ratione cōmemorans. Secunda, quum hi ex ſuperiori Epiſtola profeciſſent, (S. nam inceſtum illum excluſerant, pecuniam pro fratribus in Iudæa collegerant, Timotheum cum omni beneuolentia ſuſceperant, & remiſerāt) par erat vt illos pro huiuſmodi obedientia collaudaret, & in officio contineret. Tertia, C. improbi quidam contempta Pauli authoritate, in ſua contumacia perſtabant, S. & Apoſtolo atq; eius Epiſtolis detrahebant, dicentes, Epiſtolas quidem graues, præſentiam vero corporis imbecillem, ac ſermonē deſpicabilem. C. Ergo quum talem eſſe Eccleſiæ ſtatum apud eos intelligeret, & tardius ad eos venturus foret quam initio propoſuerat, ſcripſit hanc Epiſtolā ex Macedonia. Nempe vt quam cœperat perficeret: quo omnia bene conſtituta inueniret suo aduentu. B. Primo capite à laude afflictionum auſpicatur, exponens quid in Aſia pertulerit, & q̄ dexter ſuſtulerit Deus. C. Addit ſe nec leuitate nec inconſtantia mutaſſe conſilium, B. tametſi non venerit vti fuerat pollicitus. Capite ſecundo oſtendit qua ratione præceperit mœchū tradi Satanæ vbi probat ſe ſuo rite functum fuiſſe officio. C. Et quoniam ex eo tempore ſcortator ille aliquod reſipiſcentiæ ſignum dederat, iubet in gratiam recipi. Tertio capite, quia dedicati Apoſtoli, qui detrahere ei conabantur, ſuas laudes prædicando facile cum vidiſſent ne quid habeat cum ipſis cōmune, & ſimul vt refellat ſtultam eorum iactantiam, teſtatur ſe ex re ipſa commendationem ſumere, non ab hominibus mutuari. B. Demonſtrat quanta ſit Euangelii excellentia, quantaue Legalium imbecillitas. S. Quarto capite oſtendit quanto ſtudio laborarit in prædicando Euangelio, B. & quanto cum ſucceſſu ſeminatum ab eo fuerit verbum Domini. C. Vbi perſtringit eos qui maligne ſibi obloquebantur, pronuntians omnes à diabolo excæcatos eſſe qui Euangelii ſui ſplendorem non cernant. C. Quinto capite, quia vera Chriſtianorum gloria extra mundum eſt, per contemptum præſentis vitæ, & externi hominis mortificationem, ad beatæ immortalitatis meditationem toto animi ſtudio pergendum admonet. S. Sexto capite, poſtquam oſtendit quibus in rebus potiſſimum ſita ſit Chriſtiana pietas. C. & quam fideliter ſuas partes egerit in Euangelii prædicatione leniter pungit Corinthios, quia ſint ſibi ipſis impedimento quominus fructum percipiant: cui expoſtulationi exhortationem interim ſubiicit, vt fugiant idololatriam, oſtendens nondum eſſe perductos Corinthios quo volebat. Capite ſeptimo, ne acriter nimium teneros animos poſternat aut alienet, de ſua erga eos beneuolentia iterum eos reddit certiores. S. ſimulque collaudat eorum obedientiam quod priori Epiſtolæ per omnia fere paruiſſent. C. Interea vero fatetur ſibi non diſplicere quod mœrore ipſos affecerit: quia id fecerit ipſorum bono. Octauo & nono capitibus egregiam de beneficentia diſputationem contexens, S. exemplo Macedonum ac Scripturarum teſtimoniis prouocat illos ad ferendum ſubſidium ſanctis qui in Iudæa egeſtate laborabant. C. Ac eos quidem laudat quod bene cœperint: ſed ne ſtudii feruor tempore (vt fit) refrigeſcat, multis argumentis confirmat ipſos vt conſtanter pergant in curſu inſtituto. B. Sequentibus aliis tribus capitibus ſuam authoritatem propter miniſterium ſuum palam tuetur, S. Pſeudoapoſtolorum obtrectationibus reſpondens, ac ſe multis nominibus, interim ſummis æquans, imo etiam præferens Apoſtolis. C. Capite decimotertio denuncians improbis ſeueriorem vindictam hortatur in genere omnes vt ſuum Apoſtolatum agnoſcant: id facturi ſuo bono: quum illis pernicioſum ſit deſpicere quem experti fuerant certum fidelemque Domini legatum. B. Quanquam protinus acerbitatem illam mitigans, ipſos valere optet. S. Miſſa autem fuit hæc Epiſtola à Philippis Macedoniæ vrbe, tametſi argumentum in Latinis Bibliis teſtetur miſſam è Troade.

CAPVT PRIMVM.

PAVLVS Apoſtolus Ieſu Chriſti per voluntatem Dei, ac Timotheus frater, Eccleſiæ Dei quæ eſt Corinthi, vna cum ſanctis omnibus qui ſunt in tota Achaia.

PAVLVS APOSTOLVS IESV CHRISTI. S. Huius Epiſtolæ proœmium continet primum ſolitam Apoſtoli ſalutationem, deinde exordium. In ſalutione, more ſuo, & ſuum & ſui officii nomen præmittit, Apoſtolicæ authoritatis aſſerendæ gratia. A. Vide Rom. 1. a. 1. & 1. Cor. 1. a. 1. ET TIMOTHEVS FRATER. T. Cum ad Corinthios Timotheum miſiſſet, excepiſſetq; item ex Corintho redeuntem, merito eum ſibi coniungit. Dederat namq; ille apud Corinthios propriæ virtutis experimenta. S. illum igitur in hac Epiſtola ſocium ſibi facit partim illi hac re dignitatē & authoritatē & gratiam apud illos concilians, partim ſuā declarans modeſtiā. AMB. Hūc vero nō Apoſtolū ſed fratrē appellat, quē alibi filiū chariſſimū & fidelē Chriſti miniſtrū vocat. 1. Cor. 4. d. 17. non enim ambo Apoſtoli erant. ECCLESIÆ DEI. S. Rurſus Eccleſiam appellat. C. & agnoſcit, vbi tāta erat malorum colluuies. Non enim quorundā vitia impediunt quo minus Eccleſia cenſeatur quæ veras religionis teſſeras habet. S. Ita etiam loquitur, quo illos inuicē & arctius conciliet, & velut in vnū corpus conglutinet. Neq; enim fuit vna Eccleſia, diuulſis iis qui in ea verſantur, ac ſeditione inter ſe diſſidentibus. VNA CVM SANCTIS OMNIBVS. C. Quid ſibi hoc vult? an extra Eccleſiam erant ſancti illi? Reſponſio. Hæc particula ad fideles refertur qui huc illuc per diuerſos prouinciæ angulos ſparſi erant. S. Eſt enim Corinthus totius Achaiæ metropolis, vt facile ſi hæc recte in religione fuerit inſtituta poſſint ad cæteras eius gentis vrbes quæ ab hac recepta ſunt dimanare. Sanctos. A. eos appellat, videlicet indicās, ſi quis ſit inter illos impurus, eū ab hac appellatione ſecluſum eſſe.

A. GRATIA VOBIS ET PAX. T. Conſuetā in præfationem facit, de qua vide Rom. 1. a. 7. ET DOMINO IESV CHRISTO. His verbis Chriſtum Dei Filium conſubſtantialem Deo patri æquat, dum ipſum vna cum Deo Patre pacis facit authorem: id quod vnius Dei opus eſt.

3 Benedictus Deus & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui eſt † Pater miſericordiarum, & Deus omnis conſolationis.

Al. Pater [in quem ille] ſpec.

BENE-

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/id335905889/754
gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG